

98. Recensio
antiqua.

2.

DISSERTATIO FINEM ET VIAM
EDUCATIONIS BREVITER
ADUMBRANS.

CUJUS PARTICULARAM PRIMAM

CONSENT. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENSIS

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTUNT

JOHANNES HENR. AVELLAN,

PHIL. MAG.

&

GUSTAVUS TÖRNQUIST,

STIP. REG. ABOENSIS.

In Auditorio Maj. d. 15 Junii 1803.

H. P. M. C.

ABOÆ, Typis Frenckellianis,

MANTELLIUS
ATTINENSIS RHODOCRUS
SARCIUS

MARTINUS MARECHALUS CALVUS

CONSULATUM VENETIÆ PALLIAS VENETIÆ

TURKICUS MUSKUS CINNAMONI

VENETIAE SINKA SAVANAS

PER MARE

TRINOVANTICUM RUMA TUD

BRITANNIAE ANGLO

COLONIAE LONDINIENSIS M. 17. 17. 17. 17.

17. 17. 17.

PIRELLIUS TEGYU. 17. 17. 17.



DE FINE ET VIA EDUCATIONIS.

Præstantia, qua homines brutis animantibus antecellunt in eo maxime cernitur, quod cum hæc certis instinctuum ^(a) cancellis conclusa tenentur, illis in altiora semper eniti perivit est. Cujus sibi concessæ potestatis stimul ac homines concii facti sint: vehementi studio, ad inveniendam viam, qua potissimum progrediantur, si unquam statum suum perfectiorem reddere iis contigeret, animum appulerunt. Hæc causa est, quamobrem, antiqui jam orbis cultiori cuique populo, juventutis educationem curæ impensiori fuisse videamus. Verum ut gu-

A ber-

(a) Instinctuum scilicet nomine hic nobis venit, corporis & animi (sit venia verbo) brutorum impresiones quasvis (non solum naturæ sed alii etiam causæ cuicunque originem debentes) recipiendi vis, quæ efficit, ut pro varia tam sua, quam externarum in ipsa agentium causarum indole, varie possint excoli (varias admittere perfectiones) animalia. Quæque eadem vis, quamquam omni prorsus cogitandi vel intelligendi facultate (cujus scilicet ope absque rerum externarum impulsu facultates animalium etiam propria vi incipientes esse exercere possent) destituta est, ac proinde non nisi sensualitatem quandam empiriricam, eandemque ad organicam naturam suam accommodatam, comprehendit: tamen & hac ipsa (sensualitate) opportunè præbet occasionem intelligendi, qui fieri posse, ut animantium nonnullis facultates animi, humanis quibusdam similes, competere videantur: ut v. c. equis memoria, canibus imaginatio.

bernatorem tempestates & procellæ, atræque aëris nebulæ, cursu deflectere & optatum præter littus errabundum vagari cogunt; sic homines, aut cupiditatum affectuumque suorum impetu detrusi, aut opinionum, veritatis speciem præ se ferentium, commentis decepti & illusi, aut ignorantia demum tenebris obruti, non potuerunt cavere, quin a recta educandi ratione & via aberrantes, de perfectionis dignitatisque gradu, quem ascendere eos oportuerit, longius dimoverentur. Quæ ipsa humani generis perfectio dignitasque, cum finem, in quem attingendum omnis educandi cura intendenda est, constituant; nemo fere maximam gravitatem, summumque premium rectæ & ingenuæ educandi rationi abjudicet.

Causa autem, quæ maximam diversis temporibus diversitatem conatibus curisque, in educationis negotio administrando positis, progenuit, magna illa fuit de humana perfectione idearum discrepantia, quas variis æstatibus, veritati minus magisve accommodatas, animo variis homines conceperunt.

Quarum quidem duo in primis genera citari possunt, unde dissimilis forma & quasi directio studiorum & disciplinarum morasum orta est. Alterum, quod, homines in tantum perfectioni proprius accedere, in quantum rebus omnibus fruendi occasionem amplecti, facultatemque augere, vel saltem sub illorem reddere possint, opinio in mentibus insedit: alterum, quod ita præsertim ingenua dignitate eminere sunt existimati, si facultates suas, & præstantissimas quasque maxime, ceteris imperatorio quasi loco præfectas, rite excoluiscent, vitamque ex earum legibus egissent. Illud qui sequuntur genus, maxime, quid ex rebus quibuscumque sibi commodi aut voluptatis, & quidem inviolato, si iis probe constituta res est, jure aliorum,

rum, redundet, spectant. In hoc qui sunt, ad id enixe contendendum sibi judicant, ut excellentissimas quasque animi facultates, ante omnes autem libere voluntatis & ex rationis lege agendi vim, (b) exercendo augeant perficiantque.

Inter prioris generis sectatores referendi, quotquot fuerint, qui placitis doceant sententiisque decernant, aut in consiliis suscipiendis atque exsequendis demonstrent: nibil præter suam utilitatem & voluptatem sensusve jucunditatem, vel ut brevius loquuntur, felicitatem, (utrum vera an ficta, præfens, an spe tantum futura sit, tempora rerumque evèntus quoquo loco dabunt) hominem respicere aut posse aut certe debere.

Atqui officiis colendis propterea quisvis semet obligatum præcipue judicat, quod non potest non, bona, quæ, ex iis rite obitis, prævidet sibi profectura, appetere, seu, quod idem est, non abstinere, quominus feliciter se reddere admittatur: in eadem prorsus re est, ac mercenarius, qui operam suam aliis locat, ea maxime sibi pacta mercede, quæ maxime suæ utilitati inservire,

A 2

aut

(b) Liberam voluntatem, vimque ex rationis lege agendi, non eadem significare existimaverim: quia illa non nisi diligendi aliqua potestate gaudet, igiturque facienda queque aut omittenda decernit; haec in homine eo magis se prodit, quo plura ad rationis præscriptum vel ferenda vel agenda sibi fortiter imperare, & strenue exequi valet. Illa accuratam præcipue conscientiam sui ipsius, omniumve quæ pro causis vel incitamentis consilii cuiusdam capiendi animo insint, ante constituit; haec locum ita modo habere potest, si voluntas jam universam decernendi normam e rationis veluti promtuario sibi sumendam, omnemque concupiscentiam hujus imperio subjiciendam esse statuerit.

aut cupiditatibus optatisve convenire atque respondere videatur.

Quod si ita sit, efficitur illud, ut quisque nonnisi iis officiis præstandis obstringi possit, quæ quoquo tempore & loco, suis commodis aut felicitati, optime conducere intellexerit. Quam quidem ipsam agendi normam, non solum antiquis temporibus, barbaras gentes, in atrocissimis patrandis facinoribus, secutas esse, sed nostro etiam ævo homines sceleratissimos quosque & nequisimos, sibi sequendam præscribere, qui veram hujus rei rationem perspexerit, non negabit.

Si vero qui ad hancce disciplinam adhærescunt, suo quodam jure postulare sibi videantur, ut non ii, qui privata sua in primis spectant commoda, sed illi tantum, qui, aliorum augendis utilitatibus, suas quoque augeri optant, (quippe qui soli felicitatis sibi proprieæ participes fieri possint) inter sinceros eius rationis numerentur assectatores: id quidem non ita absurdè ab iis statuitur. Aliud autem, quod eorum ratio haud detrectare possit, incommodum, in hoc positum esse reperient, quivis rem æqua judicij lance expenderint, quod felicitate, eademque vel perfectissima quam hominibus expertere licet, principium officiorum constitutive, omnis hominum dignitas atque perfectio metienda sit, aut callidissima veritatisimaque actionum rerumque suarum dispositione, aut ad summum, externa tantummodo harum cum lege morali convenientia; haud vero illa, quæ sola hominibus convenit, animi sensuum consiliorumque non simulata integritate vel moralitate. Si vero ulterius urgant: ipsam quam querunt felicitatem, nonnisi interna hac contineri & effici animi integritate: & plus sibi vindicant, quam vera hujus disciplinæ ratio possit permettere;

&

& summam humanæ naturæ præstantiam in statu quodam *pasivo*, seu cuiquam sensus grati impulsui obnoxio, perverse ponunt: id quod utrumque cuique rem diligentius perquirenti apparebit. Quæ omnia monenda fuisse existimavimus, quo facilior esset aditus ad rem quam tractare instituimus.

Cum ex dictis jam colligi queat, felicitatem pro ultimo, versus quem hominibus progrediendum est, termino considerari nequire: in altero, cujus mentionem fecimus genere doctrinæ, de summo ad quem hominem adscendere oportet perfectionis gradu, paucis exponendo, finem illum consistere probabimus. Ex quo, ubi tamen antea præcipuae humanæ facultates consideratae nobis fuerint, rationem, qua metam illam nobis constitutandam contingamus, considerandis iis atque explicandis, quæ ad educationis operam rite instituendam maxime videantur necessaria, designare & tradere conabimur.

Cum ex summi conditoris consilio, rerum omnium aut expertiarum aut fugiendarum, liberum delectum homo sibi permisum habeat, hoc ipso non obscurum suæ destinationis documentum illi traditum est, ex quo quidem id officii sibi inju csum putet, ut non appetitum suorum instinctuumve stimulis se impelli sinat, sed libertate ita utatur ut sapientissimorum summi auctoris consiliorum sectatorem decet.

Qua quidem non eum in finem homo donatus est libertate, ut res quascunque jucundas ex suo præcipue arbitrio libere eligendo, felicitatem suam (firmissimo ita veluti præsidio munitam!) tueri possit: etenim humanæ cognoscendi facultati, quippe quæ arctis laxe constringitur limitibus, eorum, ex quibus homini vel prosperæ vel

A 3

ad-

adversæ res profiscantur & impendeant, tam pauca perspicere & prævidere datum est, ut vix aliquem fugiat, bruta animalia hoc respectu tuctiori ire via, dum cæcos naturæ suæ impetus duces sequuntur. Sed ut rationi, qua homo bestiis eminentissime antecellit, quæque eadem omnia rite & ordine facienda esse judicat, sponte se associet atque subjungat voluntas, idcirco profecto libertatis facta est particeps. Rationis autem longe maximum munus hoc ipsum est habendum, quod recta quæque iusta & æqua, tam cogitatis animi observanda, quam factis exsequenda, haud ex utilitate quadam forte perspecta svaldeat, sed incorruptam ferendo sententiam a priori jam imperet. Qua inquam re factum est, ut voluntati humanæ, præter liberum delectum rerum, aut perceptu jucundarum, aut fructu utilium, alia, & quidem longe superior, quoque competit libertas, ex qua homo, animum, a quibuscumque voluptatem vel jucunditatem aliquam procreantibus, omnino avertere, & contra omne mentis studium ad id intendere valet, ut neque animo, neque factis agere sibi permittat, nisi quod lex rationis vel jubeat, vel saltem non interdicat. Omnia vero quæ sibi facienda esse homo ita judicat, propterea facit, quod summum pretium, dignitatem, & sanctitatem legis, officiorum præcepta sibi dictitantis, agnoscit & reveretur. Sic quoque ea ipsa, quibus quomodo fruatur, urgente vel materiali vel sensuali sua natura, non potest abstinere, eo majoris aestimabit, quo apertius cum lege rationis conspirent.

Ita autem vitam agendo, & violentos quosvis rerum in concupiscenti facultatem impetus comprimendo: evidentissima non libertatis tantum suæ, sed etiam ad modum cœlestis cuiusdam mundi legibus gerendum aspirantis animi, & divinæ quasi originis, edit homo documenta.

Eadem

Eademque eum in modum præstare qui totis animi viribus connitur, verisimum se, perfectionis, de qua agimus, homine dignæ, consequendæ assectatorem, & ingenuæ humanitatis animo sibi informandæ, amatorem præbet.

Scopo ad quem homines tendere oportet, satis, ut speramus, luculenter jam exposito: ad viam quandam, qua eundem appropinquare liceat, delineandam, animum applicemus. Quæ ratio cum latissime pateat, & ad omnes, cujuscunque conditionis & ætatis homines pertineat, in ea præcipue parte elaborandum nobis hoc tempore duimus, in qua de cura, primæ ac ineuntis ætatis hominibus formandis, atque morum integritate ornandis, impendenda, (quæque proprie educationis sub nomine venit,) agitur.

Hujus autem rei prosperum successum frustra exspectaveris, nisi educatores, (sive parentes sint, sive aliorum liberos educandi officium in se suscepint,) ad cuncta animi sui sensa attendere, & semet ipsos probe semper scrutari, adsuetacti, rectæ honestæque vitæ consuetudinem diligentissime seclandam statuant, atque intimo honesti (moralitatis) affectu perfusi, omnia, quæ recta, iusta & bona judicent, animo complecti & factis exequi, ardentiter adeo studeant, ut omnium vel exoptatissimarum rerum, (honorum, fortunæ, quin immo ipsius vitæ,) jacturam, minoris multo existiment, & quidem facere malint, quam animi rationi morem gerentis, integræque vitæ perdere conscientiam. Id quod primum & maximum in quovis educatore non poterit non haberis: quia nempe non nisi sic in eo gignentur, præclara illa præceptorum, ex intimo pectoris affectu effluentium vis, exemplorumque auctoritas, quæ tantopere, ad sincerum probitatis amorem, tenerorum præcordiis instillandum, ardens.

ardensque vitæ integerime agendæ studium excitandum, valent.

Hoc autem tam magnum & arduum opus, si quæratur, quomodo, qui educatorum munere funguntur, queant conari: in aprico est, nihil hujusmodi posse præstari nisi ab iis, qui aliorum, aut viva voce, aut librorum opere, effecta institutione erudit, & cogitatione intentiori justaque rei consideratione usi, animo firmiter informaverint: hominem tota, quam sequi eum oportet, errare via, nisi omnia quæ vel animo volvat, vel agendo perficiat, ad rationis normam componat, & ex effectu aestimet, quem præstant ad libertatem voluntatis, e flagitiosis libidinum vinculis liberandæ, vindicandam.

Cetera, quæ ad bonum educatorem & prudentrem efficiendum adjuvare possint, hoc loco omittere, instituti ratio jubet.

Sed cum educandi quandam viam, qua homines metam sibi propositam, facilime pertingere posse judicemus, delineare instituerimus, in id in primis omni studio incumbendum nobis videtur, ut quæcunque animis hominum informanda insinuandaque esse statuantur præcepta, non modo non a natura humana aliena esse & discrepantia, verum etiam intime adeo cum eadem conjuncta intelligantur atque connexa, ut hæc ipsa turpiter neglecta, quin immo nefanda ac funesta socordia corrupta existimetur, nisi illis rite observandis, & quidem menti tenerorum inculcandis, impensior opera data fuerit. Quod ipsum quidem probare non poterimus, nisi universæ humanæ naturæ expositione quadam præmittenda, tam communis omnium, quibus homo obligari possit, præceptorum & legum vis & indoles antea fuerit de-

cla-

clarata, quam limites designati, intra quos homines, per inumeros gradus ad majora altioraque ascendere & progredi, non debent solum sed & posse.

Primum autem & maximum animi humani excellentiæ documentum in hoc conspicitur, quod homo non tantum sensu passivo movetur, verum conscientiam suæ personæ personalitatis intellectu perceptam habet: atque sic semet, quibuscumque rebus circumiectis obvius fiat, & quarumcunque variarum, infinitaque quantumvis serie succendentium perceptionum conscientius reddatur, tamen semper unum, ab omnibus hisce separatum, eundemque necesse cogitet. Qva ipsa etiam personalitatis cogitatione conscientia activæ (seu spontaneæ) animi vis, rationis tam theoreticæ quam practicæ evolvitur.

Illa, quæ diversas omnes intellectus perceptiones & ordinans & in unum comprehendens, & sibi tamquam uni eidemque subjecto (ieu personæ) attribuens, veri inventi ultimum constituit principium. (c.) *Hæc*, quæ recte & sentiendi & agendi normam vel ordinem quasi involvens tum officiorum principium continet, cum amicam & constantem sensuum internorum, cupiditatum, studiorumque omnium consensionem ac concordiam, loco finis ultimi, in quam omni animi nisu homini intendendum est, expingit & constituit. De illa pluribus me-

B

mo-

(c) *Principium* hic nobis dicitur: non eo sensu, quo regulam aliquam generaliorem, vel ad artium vel ad morum ditionem pertinentem, significare posset; sed hoc vocabulo usi sumus, quatenus illi, fontis vel originis cuiusdam communis, plures & diversos prout scilicet diverso modo applicetur effectus progenitum significatio addatur: quod, ne male hic vel in sequentibus intelligatur observandum duximus.

morare non hujus loci esse judicamus. Sed cum *rationis* sic dictæ *prædictæ* sub ditionem omnia cadant, quæ dispositioni liberæ voluntatis concessa sunt; horumque quo plura ad ejus ductum rite fuerint composita, eo majori ampliorique dignitate & perfectione conspicuus homo excellat: maxime e re esse videtur, ut præcipuas quasque animi facultates, sensusque ab iis oriundos, recenseamus, quæ nimirum hac via (voluntatis ex decreto) imperio rationis erunt subjicienda. Qvarum in commemoratione, primum quidem, a quibusque huic rationis facultati conjunctissimis, initium facientes, ad remotores quasque tractandas, ex ratione connexionis quam dabunt, ordine progrediemur.

Qvæ igitur intime conjuncta vel immediate rationi subjuncta sit, facultas, *intellectum* dicimus, quippe qui nonnisi in continuitate quadam & progesione rationis, ad singulas separatasque quasvis res applicata, consistit. Qui ipse tamen cum activam modo cogitandi facultatem (qua rem quamque ab aliis omnibus separatam esse intelligere valeat,) exferat; non potest non *receptivitatem* (ignoscatur insolentia vocabuli) quampiam, quæ materiam sibi subjunctorum (cogitandam) afferat seu quasi recipiat, in se complecti. Hæc eadem rursus receptivitas, e puræ vel absolutæ sensualitatis (*d* vi originitus derivanda, imaginatione formas rerum intuitu quadam percipiendas exhibente, nec non sensualitate illa empirica, quæ conscientiam efficit quorumcunque animi sensuum, concluditur & in apertum veluti datur. Verum si jam consideremus, quem usum intellectus, imaginationem si-

bi

(d) Quam explicare conati sumus in Specimine de *Ultimo pulchri jucundi principio*; §. I. p. 10 & not. e atqæ potro §. §. 7. 8. 9.

bi subjunctorum seu comprehendens, præstare poterit; in hac duplici re præsertim vis ejus sita videtur: quod, *et* attentionem animi a re quadam, intuitu percepta, avocare atque ad quam aliam contuendam impellere; *et*, in re quadam imaginationi formam repræsentante sensumve aliquem excitante occupatus, ab ipsa rei in sensualitatem (*e*) efficacia abstrahere, ac aliquam modo definitionem, qua, tam quæ rei subjectæ, aliis cum rebus comparare, communia, quam quæ eidem propria ac privata reperiantur attributa, cogitantur & distinguuntur, respicere & evolvere valet.

Imaginandi facultas autem, præterquam quod materiam intellectui cogitandam afferat & subjunctorum, formis seu imaginibus rerum concipiendis privati cuiusdam sui muneric exsequendi potestate gaudet, & quidem ea te, universam cognoscendi facultatem promovere simulque alacrius honesti studium efficere potest; cum nimirum eadem a sensualitate absoluta (& cum ratione conjuncta) tamquam a parente sit edita.

Organum vero facultatum mentis jam enumeratarum ordo jam considerare jubet. Quod nempe totum, animali sive organica hominis natura, vel corpore ejusque viribus, continetur. Universa autem hujus vis, triplici fere modo sese exferit,

Namque *primo* cupiditate quadam, vel instinctu aliquo innato homo ad corporis sustentationem; *deinde* ad

B 2

gene-

(e) Hoc loco scilicet illa præsertim sensualitatis relatio putanda est, ex qua pro communi sensuum quoruncunque instrumento haheatur; de qua etiam paulo post paucis loquemur.

generis sui propagationem appetendam; & ad externos denique quosque sensus suos, tam his attingendis finibus subjiciendos impellitur, quam, eo modo dirigendos, ut sufficiens debitaque ceteris activis (spontaneis) animi facultatibus elaboranda præbeatur materies.

Sed facultatum jam descriptarum quamquam singulæ, ea tantum conditione vigere & proficere putentur, si cuique earum materia, suæ vi & destinationi bene accommodata, tractanda suppeditetur; tamen sensus aut ejusmodi vigoris seu optati cuiusdam animi status, aut ingratæ alicuius sui conscientiæ & quidem vel ex defectu allatæ materiæ vel inconvenientia oriundæ) vix potest explicari vel intelligi, nisi etiam hic *receptivitas* quedam, eademque ex illa, cuius anteä mentionem fecimus, sensualitate absoluta derivanda, atque cum imaginationis facultate analogice ad empiricas quasque res progrediens, vices communis cuiusdam instrumenti ceteris facultatibus subiuncti, exhibere judicetur. Cujus igitur sensualitatis vi sic fete exferente, quia quæ, bene convenientia aut incongrua, facultati alicui humanæ, in effectu aliquo ex lege naturæ suæ edendo occupatæ, adsunt, grati vel ingratæ sensu aliquo indicantur: eadem quidem sensualitas habenda est, & pro communi sensuum internorum instrumento, & pro incitamento quodam, imaginandi facultatem intime secum conjunctam (*f*) impellente, ad formam seu imaginem rerum quarumcunque circumjectarum, materialique grati vel ingratæ sensibus exhibentium, concipiendam atque animo repræsentandam.

Ima-

(*f*) Communem enim hæ ambæ a sensualitate absoluta ducunt originem, & nonnisi in uno eodemque ejus, quamvis ad diversas quasi partes directo, intuendi negotio occupatæ versantur.

Imaginandi facultati autem, imaginem rerum grati ingratiæ sensus excitantium ita concipienti, quasque etiam ejus generis imagines renovandi, (*g*) & sèpèius sensus cuiusdam instigatione stimulata, ad libitum hujus componendi ac effingendi licentia competit. Præterquam quod, alia adhuc sensualitatis empiricæ cum imaginandi facultate conjunctæ hic observanda videtur proprietas, quæ in quadruplici præsertim rerum relatione vivacitatem sensualium perceptionum & intensitatem mirifice prorsus augere observatur: primo nempe excitatur, contraria quadam sive opposita rerum serie vel annexione; (Kontrasten), ex qua v. c. parva magnis, pulchra foedis, tranquilla turbulentis, &c. junguntur: dein novitate, quæ insolitas inopinatasque res, & interni sensus perceptiones insvetas exhibet & gignit: porro varietate, vel objectorum alternatione: & denique continuata, & æquabili gradatione & ascensi, qui, progressione non interrupta, a minoribus ad majora & altiora scandit.

Sed cum grati sensuum ea sit vis, ut homo, stimulo eorum si obtemperet, ad omnia unde oriri possint appetenda incitetur; ingratorum sensuum contra hæc, ut quasque eorum causas evitare studeat: appareat, omnem, quæ ex his proficiuntur concupiscenti vim, si imperium in hominem obtineat, maxime in uno quodam cupiditatum, affectuum, aut perpectionum, genere consistere atque concludi: quippe quoniam, ad eas res po-

B 3

tissi-

(*g*) In hac etiam sensualitatis imaginationisque vi, tota quæ dicitur memorie facultas, consistere videtur. --- Quæ idcirco tam intellectui potest subjungi, quam voluntatis eidem appetitus materialis subministrandæ gratia associari.

tissimum attendere, quæ materiam illi in primis facultati subministrant, quæ aut prima instigatur, aut præ ceteris, (sic nimurum singulari cujuscunque vel corporis constitutione, vel animi propensione dirigente) vigore cœperit, homo cogatur. At ita grati ingratique sensuum impulsu quando homo sese agitari finit, non solum semper instanti se offert periculo, ne in funestum libidinum abripiatur gurgitem; verum etiam, si vel honestatis speciem quandam nonnunquam possit induere, inferiorem naturæ suæ partem, (quæ tota quanta ex incerto rerum eventu dependet, & voluptate, alio vel alio modo definitur,) in superioris, (rationalitatis scilicet) locum perperam & nequiter substituit. Cum itaque res elaborandas sensusque jucundas diligendi, libertas homini concessa sit; hoc eo consilio factum esse censemus, ut suppeteret illi occasio, ad ea sua sponte cunctis viribus enitendi, atque præ omnibus aliis anteponendi, quæ rationis, cuius factus est particeps, ex dictamine, propter se bona ac honesta, & magni pretii esse mens sana agnoscat.

Sunt autem quædam, per ipsam rationis indolem, adeo necessaria atque jam a priori patentia, ut non nisi resupina negligentia animique virium vera defectio, vel demum affectuum appetituumque concitationes, possint impedire, quominus homo eadem implere & ad ipsorum normam se componere, summopere studeat.

Quæ ipsa in his præcipue continere videntur: *primo*, quod *intellectus*, cognitionum quarumcunque singularum veritatem flagitet, easque extendere anhelet; *ratioque deinde theoretica* unde illius omnis vis emanat, per-

perspicientiam accuratamque cognitionum, a primo certitudinis gradu ad extreum, per vestigationem, nec non rectam, quatenus inter se cohærent, vel aliæ alias respiciant, dispositionem exposcit; & denique *prædicta*, moralitatem, vel talem injungit homini animi affectionem, qua sua sponte, igiturque libertate utens, in id omni studio tendat, ut quoscunque sensuum cupiditatumque impetus comprimendo, & internum omnium facultatum suarum veluti consensum, vel amicam con spirationem efficiat, & jura aliorum semper sancta libenter veneretur.

Ita vero cum universa rationis facultas, tam res quasdam, quam certum aliquem & sentiendi & agendi modum, utpote quæ propter se solum expetenda sint, homini exhibeat ac repræsentet; inde liberæ voluntati locus relinquitur diligendi, utrum quæ sic per se bona & recta homo judicat, ceteris rebus grati cujusdam sensus interveniu commendatis præferre, an has illis anteponere constituat.

In hac autem diligendi & optionis potestate unicum latet fundamentum, cui superstrui queat de merito quodam hominis morali perswasio.

Sed quo communes grati ingratique sensuum, cupiditatumque ex his progenitarum, in voluntatem effectus, queant facilius & acerius perspici: humanarum, per fantorie jam nobis consideratarum, facultatum, diligenter paulo, & quidem inverso ordine, ab inferio ipsis nimurum facultatibus, iisdemque in materiali natura positis instituenda, perlustratio adhuc præmittenda videtur: quippe

pe quoniam natura inferiores easdem, in universa corporis vi comprehensas, nobilioribus quibuscumque communis organi loco substruxit, & multo his eicius ad naturitatem quandam perduxit. Hac igitur via, naturae tamquam vestigia prementes, primo præcipuas corporis vires, atque hinc qui orientur grati & ingrati sensus ac cupiditates, deinde vero superiores quasque facultates ulterius examinare & describere conabimur.

Quo facto, aditum quoque expeditiorem, ad explandum modum, quo haec (facultates superiores) ad cupiditates quasque ab inferioribus prodeentes affectusque cohibendos, possint pervenire, nobis aperiemus.

Qua rursus examinata re, in promptu habebimus penum quasi vel fontem, unde omnia, quæ inter validiora & specialiora, ad homines rite educandos, adjumenta referamus, haurienda erunt.
